

DISPUTATIO X.  
DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

Respondente

PAULO HEPNERO SIL.

THESIS I.



Vm variolæ & morbilli febrem adiunctam habeant, & inter contagiosos morbos numerentur, pestemq; præcedere sæpè soleant, idè Auicenna aliq; post pestem de variolis & morbillis agunt. Continentur autem variolæ & morbilli sub genere exanthematum, quæ à Latinis papulæ communiter dicuntur. A Gal. com. 6. Aph. 9. & à Celso c. 28. lib. 5. duplicia recensentur exanthemata: alia lata, quæ modò rubent, modò colorem cutis repræsentant: alia sublimia maiora & eminentia, quæ *ἐκθύματα* proprio nomine plerumq; dicuntur.

Exanthe-  
matum  
differentiæ

2. Sub illo genere continentur primùm papulæ, per totum corpus erumpentes, quæ ob paruitatem minusq; conspicuam eminentiam, aut quia pueris inprimis accidunt, morbilli peculiari nomine dicuntur. Deinde quæ vibices referunt, aut in malignis febribus pulicum morsibus similes sunt: Item rubores siue purpuræ, quæ *ἐρυθρήματα* dicuntur. Sub hoc genere continentur pustulæ maiores, eminentes per totum corpus cum dolore & pruritu, quæ quia vari siue ionthi similitudinem exprimunt, variolæ propriè vocantur. Item pustulæ colore albo, nullum aut exiguum pruritum inducentes, his similes, quæ à feruenti aqua ambustis, emergunt: quæ quia sunt veluti vesiculæ plenæ aqua, instar Crystalli splendentes, Crystallos nonnulli appellare solent. Has omnes ferè Aëtius lib. 2. Tetrab. serm. 1. c. 129. attingere videtur.

Gg

detur.